



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Valerii Andreae Desselii Erotemata Ivris Canonici**

**Andreas, Valerius**

**Francofurti & Lipsiae, 1720**

XXXIV. de voto & voti redemptione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63277](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63277)

Ei, qui conversus est, idque in favorem  
fidei Christianæ, ne a converso inducatur *cap. 2. b. t.*  
in infidelitatis errorem.

De Voto & voti redemptione.

TIT. XXXIV.

Monachum non facit habitus Regularium,  
sed professio, votum scilicet Obedientiæ,  
Castitatis & Paupertatis.

1. Quid est votum?

Est alicujus boni operis cum delibera-  
tione facta DEO promissio. *Cum*  
*deliberatione*, inquam: scilicet ut vo-  
vens & plene advertat id, quod agitur;  
& quod deliberaverit, proponat in animo  
se facturum: quodque in animo pro-  
posuerit, etiam promittat se facturum.  
Hæc enim tria sunt necessaria, ut quis ex  
voto obligetur.

(Insuper requiritur, ut votum ex libera ani-  
mi voluntate concipiatur super rebus vel actio-  
nibus honestis ac in nostra potestate sitis, & quas  
Deo placere sive gratas & acceptas esse scimus,  
ut sc. eo magis excitetur devotio, & animus gra-  
tus erga Deum intentius declaretur.)

Removenda vero est falsa opinio & præpos-  
tera fiducia; ne quis putet, se hujusmodi operibus  
promereri remissionem peccatorum & vitam æter-  
nam, cum gratia atque salus solum per fidem in  
Christum impetretur.)

2. Quo-

2. *Quotuplex est Votum?*

Voti divisio multiplex est, scilicet *Solemne & Simplex*, in *Expressum & Tacitum*; in *Personale, Reale & Mixtum*; *Perpetuum & Temporale*.

3. *Quid est votum solemne & simplex?*

Votum *Solemne* est, quod fit publice & solemniter: adhibita exterius certa solemnitate, qua votum executioni mandari solet, veluti per susceptionem Canonis sacri, per Professionem expressam

*c.un.b.t.c. 9. & c. 13. sup. De regular.* tacitam. Nam votum solemne tam est fieri tacite quam expresse; sicut *Simplex*, quod fit, nulla extrinseca adhibita solemnitate, sola animi deliberatione; veluti si quis animo deliberat, cum

*c. 3. 4. & 5. inf. qui Cler. vel voventes & c.* aliam solemnitate, propositum videri solaris adsumat, & neque monasterium ingrediatur, nec habitum Religionis accipiat, nec post tempus probationis solemnem professione se obliget.

4. *Quid Votum Personale, Reale, Mixtum?*

*Personale* est, quo promittitur, quod personam solam attingit, quale est votum peregrinationis. *Reale*, quo res qua externa promittitur. *Mixtum*, quod utrumque veluti peregrinatio cum

done; vel cum forti manu, hoc est, ad Ter- c. Licet. 6.  
ram sanctam armis liberandam. b. t.

5. Quid est effectus Voti?

Ut fides semel Deo data seruetur. Nam  
licet ab initio liberum sit vovere, nec quis  
cogi possit, ut voveat, tamen semel emis-  
sum votum omnino solvendum est: tene-  
turque quilibet servare fidem, Deo datam,  
cum ne quidem homini datam semel fidem Lib. 2. de  
frangere liceat. Et apud Ciceronem lex est: LL.

Vota sancte reddenda.

6. An ergo redimi votum non potest, vel in  
aliud commutari?

Potest, auctoritate Superioris, & sva-  
dente justa aliqua ratione, idque inspecta  
qualitate personæ, & causa commutatio- cap. 1. h. t.  
nis; veluti si videat superior aliam caus-  
sam, in quam votum commutatur, Deo  
fore gratiorem, quam quod voto est pro-  
missum. Ideoque votum peregrinatio- c. 4. h. tit.  
nis, vel aliud quodlibet, potest mutari in  
votum Religionis. Votum tamen trans-  
marinum, peregrinationis & devotionis  
ergo, vel etiam in Terræ sanctæ subsidium,  
redimi alia pia causa non potest, nisi au- c. 7. & c. 9.  
thoritate S. Pont. vel cui hoc speciatim Pon- s. ult. &  
tiffex mandaverit. pen. eod.

(Votum relaxandi potestas non competit  
Pontifici.)

De